Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 2469
Quelle:
Copyright:

cionis ostendit, lucem vidit *Parisiis* 1512. 8. et *Antverpiae* 1611. 8. ut habes in *Scriptt. Ord. Praed.* T. I. p. 793. ubi pluribus de Nostro.

V. *fol.* 207. p. 2. *Incipit tractatus boneuenture de triplici uia.* Hoc modo: *cum omnis scientia gerat trinitatis insigne precipue illa que docetur in sacra scriptura, debet iure reputari vestigium trinitatis* &c. omnia hic Tria: *Intellectus moralis, allegoricus, anagogicus*, triplex *actus Jerarchicus, Purgatio, Illuminatio, Perfectio*, triplex *Exercitium, legendo, meditando, orando*, item *Stimulus conscientie Radius intelligencie, Igniculus sapiencie* &c. Habet quidem *Bonaventura* his adfinia in sua *Theologia mystica*; ipsum vero Tractatum praesentem in ejus Operibus non invenio. Ad calcem: *Georius schetzel de karelstat scriptor huius libri.*

DCXLV.

749 Codex chartaceus lat. germ. Sec. XVI. Folior. 18. 8. inscribitur: *Pulcherrime Vtilissimeque Admonitiones vel Instructiones, per Ambrosium Höltzl in celebri Monasterio Rot tunc temporis agentem inscripte Anno* (15) 57. Insunt vero: *Alphabetum paruum Boni Monachi in Schola dei ordinatum a Sancto Bonauentura Doctore Seraphico*, Versus quidam de legendis *Horis Canonicis*, *Instructio Sacerdotis cui commissum est Missas celebrare*, Dicta quaedam Patrum, Computus denique chronologicus Temporum ab *Adamo* usque ad exitum *Abrahami* lingua vernacula exaratus anno 1540. Levis omnia momenti, de quorum Compilatore nihil adnotatum reperio, neque dispicio, *Rotamne* ille *Suevicam*, Collegium Praemonstratensium, an *Bavaricam*, Coenobium D. Benedicti, designet, quae bello tricennali devastata perperam adseritur in *Lex. Univ.* cum hodiedum floreat, ut habes in *Monum. Boic.* T. I. p. 335.

DCXLVI.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. 692
Folior. 174. 4. nitide ab una manu exaratus habet sequentia: I. *Incipit prologus libri sequentis qui dicitur speculum prelatorum.* Ejus initium: *Quoniam consulitur aut precipitur Proverbior. V. per sapientissimum Salomonem* &c. Opusculum ipsum VII. *Capitulis* constans infit: *Scripturus per modicum ad mei ipsius ymo omnium prelatorum salutarem instructionem* &c. Itaque Praelatum audis, cumque in Prologo *Statuta Ordinis Carthusiensium* citentur, et in Opusculo mox referendo *fol.* 36. haec verba legantur: *Hec omnia supradicta dilectissimi intelligentes et opere perficientes veri carthusiensi sumus verique abrahe patris obedientie filij* &c. palam fit et hujus et sequentium *Speculorum* Autor *Jacobus Gruitroede Leodicensis* Carthusiae Prior a. 1472. fato functus, quem hos Tractatus composuisse tradunt *Trithemius*, *Theod. Petrejus* et *Job. Fr. Foppens.* Addit postremus